

MISSÆ PROPRIÆ
DIOECESIS SECCOVIENSIS

Die 19 Januarii
S. SEVERINI ABBATIS

Duplex

Missa Os justi, de Communi Abbatum.

Oratio C

Intercēssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Severini Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Ss. Marii et Soc. Mm.:

Oratio

Exáudi, Dómine, pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporá-
lis vitæ nos tríbuas pace gaudére; et ætérnæ reperire subsidium. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde S. Canuti Regis, Martyris:

Oratio

Deus, qui ad illustrándam Ecclesiám tuam beátum Canútum regem martýrii palma et gloriósis miraculis decoráre dignátus es:

concéde propítius; ut, sicut ipse Dóminicæ passiónis imitátor fuit, ita nos, per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Secreta C

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Severinus Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum.

Pro Ss. Martyribus

Secreta

Preces, Dómine, tuórum respice oblationésque fidélium: ut et tibi gratæ sint pro tuórum festivitáte Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxiliium. (Per Dóminum nostrum.)

Pro S. Canuto Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitate defértur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio C

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptiōne sacraménti beátus Severinus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiōnis ejus experiámur insígnia, et intercessiōnis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Pro Ss. Martyribus

Postcommunio

Sanctórum tuórum, Dómine, intercessiōne placátus: præsta, quæsumus; ut, quæ temporáli celebrámus actiōne, perpétua salvariōne capiámus. (Per Dóminum.)

Pro S. Canuto Postcommunio

Refécti participatiōne múnieris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Canúto Mártire tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die 10 Martii

BEATI JOANNIS OGILVIE
MARTYRIS

Semiduplex

Introitus Coloss. 1, 24

GAUDEO in passiōnibus pro vobis et adimpleo ea quæ desunt passiōnum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclésia. Ps. 26, 1 Dóminus illuminatiō mea et salus mea; quem timébo?

∇ Glória Patri.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Joánnem Mártirem tuum invíctum fidei cathólicæ propugnatórem effecísti: ejus nobis intercessiōne concéde; ut fidei, spei et caritátis augméntum ubérius in dies consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Ss. Quadraginta Martyrum:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui gloriósos Mártires fortes in sua confessiōne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessiōne sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde in Missis non conventualibus fit Commemoratio Feriæ.

Léctio Epistolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Corinthios

2 Cor. 1, 3-7

Fratres: Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiōnis, qui consolátur nos in omni tribulatiōne nostra: ut possimus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiōnem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiōnes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolatiō nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatiōne


et salutē, sive consolāmur pro vestra consolatiōne, sive exhortāmur pro vestra exhortatiōne et salutē, quæ operātur tolerāntiam earūndem passiōnum, quas et nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciētes, quod, sicut socii passiōnum estis, sic eritis et consolatiōnis: in Christo Jesu, Dōmino nostro.

Graduale Ps. 76, 4-7

Memor fui Dei et delectātus sum: anticipaverunt vigīlias oculi mei; et meditātus sum nocte cum corde meo. V. Rom. 8, 18 Existimo quod non sunt condignæ passiōnes hujus tēporis ad futūram glōriam quæ revelābitur in nobis.

Tractus Rom. 8, 35-37

Quis ergo nos separābit a caritatē Christi? tribulatiō? an angustia? an fames? an nūditas? an periculum? an persecutiō? an gladius? V. Sicut scriptum est: Quia propter te mortificāmur tota die, aestimāti sumus sicut oves occisiōnis. V. Sed in his omnibus superāmus propter eum qui dilēxit nos.

 Sequētia sancti Evangēlii secūndum Joānnem

Joann. 12, 24-26

In illo tēpore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumēti cadens in terram, mōrtuum fuerit, ipsum solum manet: si autem

mōrtuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam ætērnā custōdit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Offertorium 2 Tim. 2, 9-10

Labōro in Evangēlio usque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum: ideo omnia sustineo propter electos.

Secreta

Grata tibi sit, Dōmine, nostræ servitūtis oblatio: quæ, beato Joāne Mārtyre tuo intercedente, sanctificatiōnem nobis clemēter operetur. Per Dōminum.

Pro Ss. Martyribus

Secreta

Preces, Dōmine, tuōrum respice oblationēsque fidēlium: ut et tibi gratæ sint pro tuōrum festivitāte Sanctōrum, et nobis cōferant tuæ propitiatiōnis auxiliū. (Per Dōminum nostrum.)

Deinde fit Com. Feriæ, ut supra.

Communio Matth. 16, 18

Dixit Dōminus ad Simōnem: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificābo Ecclēsiā meam, et portæ inferi non prævalēbunt adversus eam.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, cæléstibus subsidiis, te humíliter deprecámur: ut nos sempitérnæ glóriæ tuæ, una cum beáto Joáinne, participes éffici mereámur. Per Dóminum nostrum.

Pro Ss. Martyribus

Postcommunio

Sanctórum tuórum, Dómine, intercessióne placátus: præsta, quæsumus; ut, quæ temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. (Per Dñm.)

Deinde fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine.

Die 15 Martii

S. CLEMENTIS MARIÆ
HOFBAUER CONFESSORIS

Duplex

Missa Justus ut palma, de Comuni Conf. non Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio P

Deus, qui beátum Cleméntem Mariám miro fidei róbores et invictæ constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis et exémpis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate fervéntes; ut præmia consequámur æténa. Per Dóminum nostrum.

Et in Missis non conventualibus fit Commemoratio Feriæ.

Secreta P

Ille nos, quæsumus, Dómine, devotiónis ignis accéndat: quo beátus Clemens Mariá, dum salutárem offerret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio P

Cælésti pane reféctis concéde nobis, omnipotens Deus: ut beáti Cleméntis exémplo in fortitúde cibi illius usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniámus: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine.

Die 23 Martii

BEATI JOANNIS
SARCANDER
MARTYRIS

Semiduplex

Missa Lætábitur, de Comuni unius Martyris 4 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio P

Deus, qui beátum Joánnem Mártyrem tuum in confessióne veræ fidei, et sacramentális siléntii custódia, virtúte constántiæ roborásti: præsta, quæsumus; ut contra advérsa ómnia ejus mu-

niámur exémplic, et protegámur auxiliis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et in Missis non conventualibus fit Commemoratio Feriæ.

Secreta P

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, beáti Joánnis Mártiris tui intercessióne placátus, præsta; ut, qui ejus gloriósa confessióne lætámur, fidei constantiam imitémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio P

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium: quod beáto Joánni Mártiri tuo constantiam in agóne præstitit, palmámque triúmphi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine.

¶ Tempore Paschali dicitur Missa Protexisti, de Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco, cum Orationibus ut supra et Evangelio Nihil est opértum, ex Missa Lætábitur.

Die 27 Martii

S. RUPERTI EP. ET CONF.

Duplex majus

Introitus Eccli. 45, 30

STATUIT ei Dóminus testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

¶ Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos prædicatióne beáti Rupérti Confessóris tui atque Pontíficis ad agnitiónem sancti nóminis tui vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct.:

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui, ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joánnem cælésti doctrína et admirábili spíritus fortitúde imbuísti: concéde nobis ejus intercessióne et exémplo; ut, quorum cólimus imágines, virtútes imitémur et patrocínia sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

In Missis non conventualibus infra Quadragesimam fit Commemoratio Feriæ.

In Festo Translationis S. Rupertii (die 25 Septembris) dicitur sequens

Oratio

Propitiare, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Rupertii Confessóris tui atque Pontíficis solémnia gloriósa: ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus similis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedicciónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedicció nibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi coronam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdotium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdotio, et habére laudem in nómine ipsi-

us, et offerre illi incénsus dignum in odórem suavitátis.

Graduale Ps. 88, 21 et 22

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. V. Manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Tractus Ps. 111, 1-3

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. V. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. V. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sáeculum sáeculi.

In Missis votivis ante Septuagesimam et post Pentecosten dicitur

Graduale Ps. 88, 21 et 22

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. V. Manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Allelúja, allelúja. V. Ibid., 23 Nihil profíciet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Allelúja.

In Missis Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúja. V. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Lucam

Luc. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Jesus discí-
pulis suis parábolam hanc: Ho-
mo quidam nóbilis ábiit in regi-
nem longínquam accípere sibi
regnum, et revérsti. Vocátis au-
tem decem servis suis, dedit eis
decem mnas, et ait ad illos: Nego-
tiámini, dum vénio. Cives autem
ejus óderant eum: et misérunt le-
gatiónem post illum, dicéntes:
Nólumus hunc regnáre super nos.
Et factum est, ut redíret accépto
regno: et jussit vocári servos, qui-
bus dedit pecúniam, ut sciret,
quantum quisque negotiátus es-
set. Venit autem primus, dicens:
Dómine, mna tua decem mnas ac-
quisivit. Et ait illi: Euge, bone
serve, quia in módico fuísti fidélis,
eris potestátem habens super de-
cem civitátes. Et alter venit, di-
cens: Dómine, mna tua fecit quin-
que mnas. Et huic ait: Et tu esto
super quinque civitátes. Et alter
venit, dicens: Dómine, ecce mna
tua, quam hábui repósitam in su-
dário: tímui enim te, quia homo
austérus es: tollis, quod non po-
suísti, et metis, quod non seminá-
sti. Dicit ei: De ore tuo te júdico,
serve nequam. Sciébas, quod ego
homo austérus sum, tollens, quod
non pósui, et metens, quod non
seminávi: et quare non dedísti
pecúniam meam ad mensam, ut

ego véniens cum usúris útique
exegissem illam? Et astántibus
dixit: Auférte ab illo mnam et
date illi, qui decem mnas habet.
Et dixerunt ei: Dómine, habet de-
cem mnas. Dico autem vobis:
Quia omni habénti dábitur, et ab-
undábit: ab eo autem, qui non ha-
bet, et, quod habet, auferétur ab
eo.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea
cum ipso: et in nómine meo exal-
tábitur cornu ejus.

Secreta

Suscípiat cleméntia tua, Dómi-
ne, quæsumus, de mánibus
nostris munus oblátum: ut, per
hujus sancti Confessóris tui atque
Pontificis Rupérti intercessi-
onem, ab ómnibus nos emúndet
peccátis. Per Dóminum nostrum
Jesum Christum, Fílium tuum:
Qui tecum vivit et regnat.

Pro S. Joanne Damasceno

Secreta

Ut, quæ tibi, Dómine, offérimus,
dona tuo sint digna conspéctu:
beáti Joánnis et Sanctórum, quos
ejus ópera expóstitos in templis
cólimus, pia suffragátio conspí-
ret. (Per Dóminum nostrum Je-
sum Christum, Fílium tuum: Qui
tecum vivit et regnat.)

Et, in Quadragesima, fit Comme-
moratio Feriæ, ut supra.

Communio Matth. 25, 20 et 21

Dómine, quinque talénta tradidisti mihi: ecce, ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, supra multa te constituam: intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Divína libántes mystéria, quæ pro sancti Confessoris tui atque Pontificis Rupérti veneratióne tuæ obtúlimus majestáti: præsta, quæsumus, Dómine; ut per ea véniam mereámur peccatórum, et cæléstis grátiae donis reficiámur. Per Dóminum.

Pro S. Joanne Damasceno

Postcommunio

Sumpta nos, quæsumus, Dómine, dona cæléstibus armis tueántur: et beáti Joánnis patrocínia circúmdent Sanctórum unánimi suffrágio cumuláta; quorum imágines evicit in Ecclésia esse venerándas. (Per Dóminum nostrum.)

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine.

Die 20 Aprilis

S. CONRADI A PARZHAM
CONFESSORIS

Duplex

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio P

Deus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluisti: te súpplices exorámus; ut, intercedente beáto Conrado Confessore tuo, temporália subsidia nobis tribuas et æténa. Per Dóminum nostrum.

Secreta P

Oblatiónes nostras tibi, Dómine, quæsumus, beáti Conradi intercessio veneránda comméndet: quem coram tuis altáribus precántem supernórum charismatum dulcédine recreásti. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio P

Súmpsimus, Dómine, tua sancta, beáti Conradi mérita recoléntes: præsta, quæsumus; ut ejus semper et præcláro proficiámus exémplo et fidéli muniámur auxilió. Per Dóminum nostrum.

Die 4 Maji

S. FLORIANI MARTYRIS

Duplex

Missa Protexisti, de Communi Martyrum Temp. Pasch. 1 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio P

Deus, qui nos beáti Floriáni Mátyris tui gloriósæ passiónis ánnua solemnitate lætificas: sólita pietátis tuæ largitate concède benignus; ut, cujus hodie famosum victóriæ triúmphum

pio amore venerámur in terris, societátis ejus lætítiam adipísci, te largiēte, mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Monicæ Viduæ:

Oratio

Deus, mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónica piás lácrimas in conversióne filii sui Augustíni misericórditer suscepisti: da nobis utriúsque intervéntu; peccáta nostra deploráre, et grátia tuæ indulgéntiam invenire. Per Dóminum nostrum.

Secreta C3

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque susceptis: et cælestibus nos munda mystériis, et cleménte exáudi. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Monica Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepisse cognóscit auxiliúm. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio C3

Da, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Monica Postcommunio Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Extra Tempus Paschale Missa erit In virtúte, de Comuni unius Martyris 3 loco, Evangelium vero Si quis venit, ex Missa Státuit, de Comuni unius Martyris 1 loco.

Die 16 Maji

S. JOANNIS NEPOMUCENI
MARTYRIS

Patroni Diœcesis Seccoviensis

Duplex I classis
cum Octava communi

Introitus Eccli. 51, 30

DEDIT mihi Dóminus linguam mercédem meam: et in ipsa laudábo eum. (T.P. Allelúja, allelúja.) Ps. 38, 2 Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiám tuam mártýrii coróna decorásti: da; ut, ejus exémplo et intercessióne, ori nostro custódiam ponéntes, beátis, qui lingua non sunt lapsi, annumerémur. Per Dóminum.

In Missis privatis tantum fit Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf.:

Oratio

Auxilium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercessióne beáti Ubáldi Confessoris tui atque Pontificis, contra omnes diáboli nequítias dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 21, 26-31

Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hóminis auscultare per óstium, et prudens gravábitur contumélia. Lábía imprudentium stulta narrábunt, verba autem prudentium statéra ponderabúntur. In ore fatuórum cor illórum: et in corde sapiéntium os illórum. Dum maledícit impius diábolum, maledícit ipse ánimam suam. Susúrro coinquinábit ánimam suam, et in ómnibus odiétur: et, qui cum eo mánserit, odiósus erit: táctus et sensátus honorábitur.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. *Ps.* Eccli. 25, 11 Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. Allelúja. *Ps.* Prov. 10, 31 Lingua pravórum períbit: lingua autem sapiéntium est sánitas. Allelúja.

Extra Tempus Paschale dicitur
Graduale Prov. 11, 13

Qui ámbulat fraudulénter, revélat arcána: qui autem fidélis est ánimi, celat. *Ps.* 14, 1 et 3 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit próximo suo malum.

Allelúja, allelúja. *Ps.* Eccli. 25, 11 Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indignis se. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Jac. 1, 26; 3, 2 et 7-8

Si quis putat se religiósus esse, non refrénans linguam suam, sed sedúcens cor suum, hujus vana est religio. *Ps.* Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir. *Ps.* Omnis enim natúra bestiárum domántur, et dómita sunt a natúra humana: linguam autem nullus hóminum domáre potest.

✠ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Matth. 11, 2-10

In illo témpore: Cum audisset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus? Et re-

spóndens Jesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Joánni, quæ audistis et vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joánnē: Quid existis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid existis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce, qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid existis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciē tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Credo.

Offertorium Eccli. 42, 1

Non dúplices sermónem de revelatióne sermónis absconditi, et eris vere sine confusióne: et invénies grátiam in conspéctu ómnium hóminum. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Hæc tua, Dómine, sacra mysteria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo inclitus Martyr et Sacérdos tuus Joánnēs, ea peragéndō, flagrabat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Pro S. Ubaldo Secreta
Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocinia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

Communio Is. 6, 6-7

Volávit ad me unus de Séraphim: et in manu ejus cálculus, quem túlerat de altári, et tétigit os meum. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Fragilitátem nostram, Dómine, cæléstis hæc mensa fórtium pane confirmet: qui beáti Mártyris et Sacerdótis tui Joánnis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

Pro S. Ubaldo

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Ubáldo Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo et, pro Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, dicitur 2. Oratio de S. Maria, 3. contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

Die 23 Maji

IN OCTAVA

S. JOANNIS NEPOMUCENI
MARTYRIS

Duplex majus

Missa dicitur ut in Festo.

Die 27 Junii

SANCTÆ HEMMÆ VIDUÆ
Fundatricis Ecclesiæ Cathedralis
Gurcensis

Duplex

Introitus Ps. 15, 8-9

PROVIDEBAM Dóminum in conspéctu meo semper: quóniam a dextris est mihi, ne commóvear. Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea: insuper et caro mea requiêscet in spe. (T. P. Allelúja, allelúja.) Ps. ibid., 1-2 Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

V. Glória Patri.

¶ In Missis votivis in sequenti Oratione loco celebritáte dicitur commemoratióne.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, fídelibus tuis hunc caritátis afféctum: ut sanctæ Hemmæ celebritáte fervéntes, nullis implicéntur erróribus, nullis adversitatibus

affligántur; sed salutáribus proficiant institútis, discant mundi contéptum, vitalibúsque præsídiis adjuvéntur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ
beáti Pauli Apóstoli
ad Timótheum
1 Tim. 5, 3-10

Carissime: Víduas honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios, aut nepótes habet, discat primum domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere vídua est, et desoláta, speret in Deum, et instet in obsecratió nibus, et oratió nibus nocte, ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suórum, et máxime domesticórum curam non habet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Vídua eligátur non minus sexaginta annórum, quæ fúerit unius viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens, si fílios educávit, si hospítio recépit, si sanctórum pedes lavit, si tribulatió nem patiéntibus subministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

Graduale Ps. 44, 3 et 5

Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedixit te Deus in

æternum. *V.* Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam; et deducet te mirabiliter dextera tua.

Allelúja, allelúja. *V.* Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde et regna. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus

Veni, Sponsa Christi, áccipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in æternum. *V.* Ps. 44, 8 et 5 Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórtibus tuis. *V.* Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde et regna.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 44, 5 Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde et regna. Allelúja. *V.* Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua. Allelúja.

⚦ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Matth. 19, 16-26

In illo témpore: Accédens unus ad Jesum, ait illi: Magíster bone, quid boni fáciam ut hábeam vi-

tam æternam? Qui dixit ei: Quid me intérogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandáta. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicídium fácies, non adulterábis, non fácies furtum, non falsum testimónium dices, honóra patrem tuum et matrem tuam, et diliges próximum tuum sicut teípsum. Dicit illi aduléscens: Omnia hæc custodívi a juventúte mea; quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes et da paupéribus et habébis thesáurum in cælo, et veni, séquere me. Cum audisset autem aduléscens verbum, ábiit tristis: erat enim habens multas possessiónes. Jesus autem dixit discípulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrábit in regnum cælórum. Et íterum dico vobis, facílius est camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in regnum cælórum. Audítis autem his, discípuli mirabántur valde dicétes: Quis ergo póterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus dixit illis: Apud hómines hoc impossíbile est; apud Deum autem ómnia possibília sunt.

Offertorium Ps. 15, 6

Funes cecidérunt mihi in præcláris: étenim heréditas mea præclára est mihi. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Ascendant ad te, Dómine, preces nostræ, et tuórum vota fidélium múnera suppliciter oblata concílient, quod, etiámsi nostris opéribus non merémur, beátæ Hemmæ, quæsumus, intercessióne mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum.

Communio Ps. 15, 11

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: delectatiónes in dextera tua usque in finem. (T. P. Allelúja.)

¶ In Missis votivis in sequenti Postcommunione loco solemnitáte dicitur commemoratióne.

Postcommunio

Quæsumus, virtútum cælestium Deus: ut sacrificia pro sanctæ Hemmæ solemnitáte oblata; desideriórum nos temporálium dóceant habére contéptum, et ambíre dona fáciant cælestium gaudiórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Et, si hodie fuerit Sabbatum, in fine legitur Evangelium Vigilæ Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ut in Missali.

Die 10 Julii

BEATORUM
ENGELBERTI KOLLAND
ET SEPTEM SOCIORUM
MARTYRUM

Duplex

Introitus Ps. 43, 22 et 26

PROPTER te mortificámur tota die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis; exsúrge, Dómine, ádjuva nos et rédime nos propter nomen tuum. Ps. ibid., 2 Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annuntiavérunt nobis. V. Glória Patri.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beáto Engelbérto et Sóciis ejus grátiam contulísti, ut confessiõem tui nóminis effúso sáanguine confirmárent: multiplica misericórdiam tuam; ut eórum méritis et précibus christiánus pópulus in fidei confessiõem firmétur et gens in ténebris ámbulans ad lumen evangélii perducátur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Ss. Septem Fratrum Mm., ac Rufinæ et Secundæ Vv. et Mm.:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessiõem cognóvimus, pios apud te in nostra intercessiõem sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Lectio Epistolæ
beāti Petri Apóstoli


1 Petri 4, 13-19

Carissimi: Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor. Si autem christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parabunt? Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Graduale 2 Machab. 7, 6 et 9

Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis. **V.** Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.

Allelúja, allelúja. **V.** Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui, effuso sanguine, secuti sunt Dominum. Allelúja.

 Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam

Luc. 12, 4-8

In illo tempore: Cœpit Jesus dicere ad discipulos suos: Dico autem vobis amicis meis: Ne timeamini ab his, qui occidunt corpus et post hæc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timeate eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis: hunc timeate. Nonne quinque pasceres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 36, 28

Dominus amat iudicium, et non derelinquet Sanctos suos, in æternum conservabuntur.

Secreta

Múnera et vota, Domine Jesu, quæ pro debito beatorum Martyrum Engelberti et Sociorum honore deferimus, tibi grata reddantur, ac per eadem sicut ipsis pro fide certantibus mirabilem dignatus es conferre victoriam, ita nobis immotam tribuas in virtute constantiam: Qui vivis.

Pro Ss. Martyribus Secreta
Sacrificiis præséntibus, quæsumus, Dómine, inténde placátus: et, intercedéntibus Sanctis tuis, devotióni nostræ proficiant et salutí. Per Dóminum nostrum.

Communio Luc. 12, 4

Dico autem vobis amicis meis: ne terreámini ab his, qui occidunt corpus et post hæc non habent ámplius, quid fáciant.

Postcommunio

Concéde, quæsumus, Dómine Jesu, intercedéntibus beáteis Martýribus Engelbérto et Sóciis: ut divínis épulis roboráti, sicut ipsi claram martýrii palmam obtinére meruerunt; ita nos promissam glóriæ corónam accípere valeámus: Qui vivis.

Pro Ss. Martyribus
Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus: ut, intercedéntibus Sanctis tuis illius salutáris capiámus efféctum; cujus per hæc mystéria pignus accepimus. Per Dóminum nostrum.

Die 1 Septembris

S. ÆGIDII ABBATIS

Titularis Ecclesiæ Cathedralis

Duplex I cl. cum Oct. communi

Missa Os justi, de Communi Abbatum. Et nulla fit Commemoratio. Credo per totam Octavam.

Infra Octavam (diebus 3 et 7)
Missa dicitur ut in Festo, additis tamen Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, nempe 2. Oratio de S. Maria, 3. contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

Die 4 Septembris

(d. f. alias 25 Sept.)

S. NICOLAI DE FLÜE
EREMITÆ ET CONF.

Duplex

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loqué-
tur júdicium: lex Dei ejus
in corde ipsius. (T. P. Allelúja,
allelúja.) Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.
V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Nicoláum Eremitam, Angelórum esca mirábiliter nutríte, ac donis cælestibus cumuláre voluísti: concéde, quæsumus: ut ejus intercessiône Dominicum corpus digne súmeré in terris, et gloriósum conspícere mereámur in cælis. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Ægidii Abb.:

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídi Abbátis coméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória æténa: qui pótuit tránsgridi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ideo stabilíta sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclé-sia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. **V.** Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. **V.** Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatió-nem: quóniam, cum probátus fuerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur. **V.** Glória et divítia in domo ejus: et justítia ejus manet in sáeculum sáeculi.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, allelúja. **V.** Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatió-nem: quóniam, cum probátus fuerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja. **V.** Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangéllii secúndum Matthæum

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce, nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratió-ne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam æténam possidébit.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias imolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Pro S. Ægidio

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Ægidius Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Communio Matth. 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Ægidio

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptiÓne sacraménti beátus Ægidius Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiÓnis ejus experiámur insígnia, et intercessiÓnis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 6 Septembris

S. ERENTRUDIS VIRGINIS

Duplex

Missa Dilexisti, de Comuni Virginum 3 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio P

Sanctæ Erentrúdis Virginitatis tuæ recolénda festívitatis, nos tibi, quæsumus, Dómine, reddat acceptos: ut castitátis ipsius exémplicis irradiáti: ad te bonórum ómnium auctórem stúdia nostra dirigámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Ægidii:

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægidii Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Secreta C

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se

méritis de tribulatióne percepisse cognóscit auxilium. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Ægidio *Secreta*
Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Ægidius Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio *C*

Satiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Pro S. Ægidio *Postcommunio*
Próteget nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Ægidius Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insignia, et intercessiósni percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 7 Septembris

BB. MARCI CRISINI
STEPHANI PONGRACZ
MELCHIORIS GRODECZ
MARTYRUM

Semiduplex

Missa Intret, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio *P*

Beatórum Mártyrum Marci, Stephani et Melchióris, quæsumus, Dómine, précibus adjuvémur; ut, quorum gloriámur triúmphi, fidei constántiam imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Ægidii:

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægidii Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Secreta *P*

Super has hóstias, Dómine, benedictio larga descéndat; quæ nos ad amórem tuum beatórum Mártyrum exémplo restáuret. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava S. Ægidii

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Ægidius Abbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio *P*

Cæléstibus refécti sacraméntis et gáudiis: fac nos, Dómine, beatórum Mártyrum glóriæ consórtes, cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava S. Ægidii

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptiõne sacraménti beátus Ægidius Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiõnis ejus experiámur insígnia, et intercessiõnis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 8 Septembris

IN NATIVITATE B. M. V.

Duplex II classis

Ut in Missali eadem die et fit Commemoratio diei Octavæ S. Ægidii Abbatis et, in Missis privatis tantum, S. Hadriani Martyris.

Die 13 Septembris

BEATÆ NOTBURGÆ
VIRGINIS

Duplex

Missa Dilexisti, de Communi Virginum 3 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio P

Præténde, Dómine, fidélibus tuis dèxteram cæléstis auxilií: ut, méritis et exémplo beátæ Notbúrgæ Virgínis, te toto corde perquirant; et, quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Secreta P

Cæléstem nobis præbeant hæc mystéria, quæsumus, Dómine, medicinam: et, intercedente beáta Notbúrga Virgine tua, vítia nostri cordis expúrgent. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio P

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedente beáta Notbúrga Virgine tua, sempitérna protectiõne confirmet. Per Dóminum.

Die 25 Septembris

IN TRANSLATIONE
S. RUPERTI
EPISCOPI ET CONF.

Duplex

Missa ut in Festo S. Ruperti die 27 Martii 5*, præter Orationem sequentem (ibidem notatam):

Oratio P

Propitiáre, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Rupéрти Confessóris tui atque Pontíficis solémnia gloriósa: ut, ejus pia intercessiõne, ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Die 26 Septembris

IN TRANSLATIONE
S. VIRGILII EP. ET CONF.

Duplex

Missa Státuit, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

Oratio

C

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Virgílii Confessoris tui atque Pontíficis veneranda solémnitas, et devotióem nobis áugeat et salutem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Martyrum:

Oratio

Beatórum Mártyrum Cypriáni et Justinæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsidia: quia non desinis propítius intuéri, quos tálibus auxiliis concésseris adjuvári. Per Dóminum nostrum.

Secreta

C

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocinia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Cypriano et Justina

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre Justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

C

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedente beato Virgilio Confessore tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro Ss. Cypriano et Justina

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Mártyribus tuis Cypriáno et Justina; ut, quod ore contíngimus, pure mente capiámus. Per Dóminum.

Die 12 Octobris

S. MAXIMILIANI
EPISCOPI ET MART.

Duplex

Introitus Dan. 3, 84 et 87

SACERDOTES Dei, benedicite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Ib., 57 Benedicite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.
V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beati Maximiliani Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætificas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ
beati Pauli Apóstoli
ad Corinthios

2 Cor. 1, 3-7

Fratres: Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et

Deus totius consolati6nis, qui consolatur nos in omni tribulati6ne nostra: ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortati6nem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exhortati6ne et salute, sive consolamur pro vestra consolati6ne, sive exhortamur pro vestra exhortati6ne et salute, quae operatur tolerantiam earundem passionum, quas et nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes, quod, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolati6nis: in Christo Jesu, Domino nostro.

Graduale Ps. 8, 6-7

Gl6ria et honore coronasti eum.
V. Et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine.

Allelujá, allelujá. V. Hic est Sacerdos, quem coronavit Dominus. Allelujá.

⚦ Sequentia sancti Evangelii
secundum Lucam

Luc. 14, 26-33

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne, postquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quae pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.

Offertorium Ps. 88, 21-22

Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: et, intercedente beato Maximiliano Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Communio Ps. 20, 4

Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crimine: et, intercedente beáto Maximiliáno Mártire tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die 16 Octobris

In Ecclesiis consecratis, excepta
Cathedrali

IN DEDICATIONE
PROPRIÆ ECCLESIAE

Duplex I classis
cum Octava communi

Missa Terribilis, ut in Communi Dedicacionis Ecclesiæ. In Missis privatis tantum fit Commemoratio S. Hedwigis Viduæ.

Infra Octavam (diebus 21 et 22 Oct.) dicitur Missa ut in Festo, additis tamen, nisi occurrant Commemoraciones speciales, Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, nempe 2. Oratio de S. Maria, 3. contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

Die 23 Octobris

IN OCTAVA
DEDICATIONIS PROPRIÆ
ECCLESIAE

Duplex majus

Missa Terribilis, ut in Communi Dedicacionis Ecclesiæ.

Die 31 Octobris

S. WOLFGANGI
EPISCOPI ET CONF.

Duplex

Missa Sacerdótes tui, de Communi Conf. Pont. 2 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio P

Deus, qui nobis æternæ salutis beátum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Et in Missis non conventualibus fit Commemoratio Vigiliæ Omnium Sanctorum.

Secreta C

Sancti Wolfgangi, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátia tuæ dona conciliet. Per Dóminum nostrum. Et fit Com. Vigiliæ, ut supra.

Postcommunio E

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Wolfgangi Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Vigilæ, ut supra; et legitur ejus Evangelium in fine.

Die 3 Novembris

S. VICTORINI
EPISCOPI ET MART.

Duplex

Introitus Eccli. 45, 30

STATUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Victorini Mártyris tui atque Pontificis sángine consecrásti: da, quæsumus; ut ejus méritis ab ómnibus muniámur advérsis et ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ
Omnium Sanctorum:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiátionis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ
beáti Jacóbi Apóstoli

Jac. 1, 12-18

Caríssimi: Beátus vir, qui suffert tentationem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo, cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquisque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus et illéctus. Deínde concupiscéntia cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolite itaque erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim genuit nos verbo veritátis, ut simus iníitium áliquod creatúræ ejus.

Graduale Ps. 88, 21-23

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4
Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech.
Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4

Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei: et voluntáte labiórú ejus non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. **V.** Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósó.

✠ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Matth. 24, 42-47

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfo-di domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constituit dómí-nus suus super familiam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dómí-nus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen, dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Credo, ratione Octavæ Omnium Sanctorum.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Victorini Mártyris tui atque Pontificis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsidi-um. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre Justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dómi-num nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Communio Ps. 88, 36 et 37-38

Semel jurávi in sancto meo: Semen ejus in ætérnum manébit: et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséqui-mur cultum, intercedénte beáto Victorino Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Pro Octava Postcommunio
Da, quæsumus, Dómine, fidéli-
bus pópulis ómnium Sanctórum
semper veneratióne lætári: et eó-
rum perpétua supplicatióne mu-
niri. Per Dóminum nostrum.

In Missis votivis Tempore Pas-
chali dicitur Missa Protexisti, de
Communi Martyrum Tempore
Paschali 1 loco, cum Orationibus
et Evangelio ut supra.

Die 15 Novembris

S. LEOPOLDI
MARCHIONIS AUSTRIÆ
CONFESSORIS

Duplex

Introitus Ps. 36, 30-31

OS justi meditabitur sapien-
tiam, et lingua ejus lo-
quétur iudicium: lex Dei
ejus in corde ipsius. Ps. ibid., 1
Noli æmulári in malignántibus:
neque zeláveris faciéntes iniqui-
tátem. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui sanctum Leopól-
dum, ex principátu et curis
sæculi hujus, immaculátum ad
regnum cæléste traduxisti: con-
céde propítius tua cleméntia; ita
nos per hæc temporália dirigi, ut
æternæ vitæ consórtes éffici me-
reámur. Per Dóminum nostrum
Jesum Christum, Fílium tuum:
Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commemoratio S. Alberti
Conf., Pont. et Doct.:

Oratio

Deus, qui beátum Albértum
Pontíficem tuum atque Doctó-
rem in humana sapiéntia divi-
næ fidei subjiciénda magnum ef-
fecisti: da nobis, quæsumus; ita
ejus magistérii inhærére vestígiis,
ut luce perfécta fruámur in cælis.
Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine
mácula, et qui post aurum
non ábiit, nec sperávit in pecúnia
et thesáuris. Quis est hic, et lau-
dábimus eum? fecit enim mirabí-
lia in vita sua. Qui probátus est in
illo, et perféctus est, erit illi glória
æterna: qui pótuit tránsgridi, et
non est transgréssus: fácere ma-
la, et non fecit: ideo stabilita sunt
bona illius in Dómino, et eleemó-
synas illius enarrábit omnis ecclé-
sia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14

Justus ut palma florébit: sicut ce-
drus Libani multiplicábitur in do-
mo Dómini. V. Ibid., 3 Ad annun-
tiándum mane misericórdiam tu-
am, et veritátem tuam per noc-
tem.

Allelúja, allelúja. V. Jac. 1, 12
Beátus vir, qui suffert tentatió-
nem: quóniam, cum probátus fú-

erit, accípiet corónam vitæ. Alle-
lúja.

⚦ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Lucam

Luc. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Jesus disci-
pulis suis parábolam hanc: Ho-
mo quidam nóbilis ábiit in regi-
nem longínquam accípere sibi
regnum, et revérsti. Vocátis au-
tem decem servis suis, dedit eis
decem mnas, et ait ad illos: Nego-
tiámini, dum vénio. Cives autem
ejus óderant eum: et misérunt le-
gatiónem post illum, dicéntes:
Nólumus hunc regnáre super nos.
Et factum est, ut redíret accépto
regno: et jussit vocári servos, qui-
bus dedit pecúniam, ut sciret,
quantum quisque negotiátus es-
set. Venit autem primus, dicens:
Dómine, mna tua decem mnas ac-
quisívit. Et ait illi: Euge, bone
serve, quia in módico fuísti fidé-
lis, eris potestátem habens super
decem civitátes. Et alter venit, di-
cens: Dómine, mna tua fecit quin-
que mnas. Et huic ait: Et tu esto
super quinque civitátes. Et alter
venit, dicens: Dómine, ecce mna
tua, quam hábui repósitam in su-
dário: tímui enim te, quia homo
austérus es: tollis, quod non po-
suísti, et metis, quod non seminá-
sti. Dicit ei: De ore tuo te júdico,
serve nequam. Sciébas, quod ego
homo austérus sum, tollens, quod

non pósui, et metens, quod non
seminávi: et quare non dedísti pe-
cúniam meam ad mensam, ut ego
véniens cum usúris útique exegis-
sem illam? Et astántibus dixit:
Auférte ab illo mnam et date illi,
qui decem mnas habet. Et dixé-
runt ei: Dómine, habet decem
mnas. Dico autem vobis: Quia
omni habénti dábitur, et abundá-
bit: ab eo autem, qui non habet,
et, quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea
cum ipso: et in nómine meo exal-
tábitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias im-
molámus in tuórum com-
memoratióne Sanctórum: quibus
nos et præsentibus éxui malis
confídimus et futúris. Per Dómi-
num nostrum.

Pro S. Alberto

Secreta

Sacrificiis præsentibus, Dómine,
quæsumus, inténde placátus: ut
quod passiónis Fílii tui, Dómini
nostri, mystério gérimus, beáti
Albérti intercessióne et exémplo,
pio consequámur afféctu. Per
eúndem Dóminum nostrum.

Communio Matth. 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum véne-
rit dóminus, invénerit vigilántem:
amen, dico vobis, super ómnia
bona sua constituet eum.

Postcommunio

Deus, qui beátum Leopóldum Confessórem tuum mirificásti in terris, et gloriósum in cælis fecísti: eúndem, quæsumus, Ecclesiæ tuæ constitue defensórem. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Alberto

Postcommunio

Per hæc sancta, quæ sumpsimus, ab hóstium nos, Dómine, impugnatione defénde: et, intercedente beáto Albérto Confessóre tuo atque Pontífice, perpétua pace respiráre concéde. Per Dóminum.

Die 20 Novembris

IN DEDICATIONE
ECCLESIAE CATHEDRALIS

Duplex I cl. cum Oct. communi

Missa Terribilis, ut in Communi Dedicat. Ecclesiæ. Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Felicis de Valois Conf.

Die 27 Novembris

IN OCTAVA
DEDICATIONIS ECCLESIAE
CATHEDRALIS

Duplex majus

Missa Terribilis, ut in Communi Dicationis Ecclesiæ.

Die 28 Novembris

S. VIRGILII EP. ET CONF.

Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pont. 1 loco.

Oratio

C

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Virgílii Confessoris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotióne nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Secreta

C

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit.

Postcommunio

C

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedente beáto Virgílio Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit.

INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Ægidii Abb., Tit. Eccl. Cathedr. Seccovien., duplex I cl. cum Oct. communi. 1 Sept.	16*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex. 15 Martii	4*
Conradi a Parzham Conf., duplex. 20 Aprilis	8*
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. 20 Novembris	28*
— — Octava, dupl. majus. 27 Nov.	28*
Dedicatio propriæ Ecclesiæ, duplex I classis cum Octava communi. 16 Octobris	23*
— — Octava, dupl. majus. 23 Oct.	23*
Engelberti Kolland et Sept. Soc. semidupl. 10 Julii	14*
Erentrudis Virginis, duplex. 6 Sept.	18*
Floriani Martyris, duplex. 4 Maji	8*
Hemmae Viduæ, duplex. 27 Junii	12*
Joannis Nepomuceni Mart., Patroni Diœc. Seccov., duplex I cl. cum Oct. comm. 16 Maji	9*
— — Octava, dupl. majus. 23 Maji	12*
Joannis Ogilvie Mart., semidupl. 10 Martii	2*
Joannis Sarcander Mart., semidupl. 23 Martii	4*
Leopoldi Marchion. Austriæ, Conf., duplex. 15 Novembris	26*
Marcus Crisini, Stephani Pongracz, Melchioris Grodecz Mm., semidupl. 7 Sept.	19*
Mariæ B. Virg. Nativitas, duplex II classis. 8 Septembris	20*
Maximiliani Ep. et Mart., duplex. 12 Octobris	21*
Nicolai de Flûe Conf., duplex. 4 Sept.	16*
Notburgæ Virg., duplex. 13 Sept.	20*
Ruperti Ep. et Conf., duplex majus. 27 Martii	5*
— — Translatio, duplex. 25 Sept.	20*
Severini Abbatis, duplex. 19 Jan.	1*
Victorini Ep. et Mart., duplex. 3 Novembris	24*
Virgilii Ep. et Conf., duplex. 28 Nov.	28*
— — Translatio, duplex. 26 Sept.	20*
Wolfgangi Ep. et Conf., duplex. 31 Octobris	23*